Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2101

Quelle:
Copyright:

qui aſtronomiam ignorant ne aliquis mittat ſe in manus illius &c.

XI. *fol.* 150. Schemata picturata *Eclipſium* Solarium et Lunarium ab Anno 1424. ad Annum 1462. ſubjectis earum Menſibus, Diebus, Dierum Horis et Duratione, quae parum variant a Chronologia Eclipſium exhibita in *Art de verifier les Dates* &c.

DLII.

563 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 221. 4. probe ſcriptus, et rubricis diſtinctus continet, ut notatum coaeva manu in Operculo, *Diuerſos tractatus Magiſtri Matthiae Pariſien.* de quo Viro *Bohemo* diximus ad *Cod.* CCXVI. et alias. Tractatus prioris, de quo *Cod.* CCCCXXXV. Lectori detulimus arbitrium, an non *Joh. Huſſo* potius tribuendus ſit, Prooemium incipit: *Ecce ex deo et coram deo loquimur non quaſi hominibus placentes ſed deo* &c. In hoc Prooemio Inſtitutum Operis ſui ita declarat Autor: *Tenor autem et diſtinctio huius libri erit talis, nam continet 5. libros parciales quorum primus eſt principaliter de communicacione in dei eccleſia corporis et ſangwinis domini noſtri ihesu chriſti in ſacramento, ſimiliter et de diſtinctione ſpirituum principaliter in doctoribus et in prophetis, illic enim principaliter et ſolum illum primum intendebam ſub breuitate ſcripſiſſe, debinc pius ihesus mihi dilatauit, et apperiens hoſtium me repleuit ſuis copiis ut duos libros poſt puta ſecundum et tercium ſcripſerim de iudicio et diſcretione verorum et falſorum chriſtianorum et primum pſeudo prophetarum et doctorum, et debinc alios duos libros. ſ. quartum et quintum ſolum et ſimpliciter de communicatione in chriſti ihesu eccleſia deifici et ſupertremendi veri corporis et ſangwinis ihesu chriſti. Et intitulaui iſtum librum regularum aut de regulis veteris et noui teſtamenti* &c. quo titulo etiam in Bibl. Capituli Metrop. *Prag.* Exemplar extat. Pergit vero Autor opus ſuum ulterius in *Regulas* et *Diſtinctiones* partiri. Digna porro lectu ſunt, quae de ſuo in Sacras Literas, quibus unice ſe inniti profitetur, incredibili amore praefatur. Prooemio ſubnexus eſt Rerum Index alphabeticus. Tum Opus ita inchoat: *Kariſſimi Nolite omni ſpiritui credere ſed probate ſpiritus* &c. Per decurſum in exaggerandis Cleri vitiis paene modum excedit. Communionem euchariſticam Fidelium etiam Laicorum quotidianam omnibus rationibus urget, eamque ſub *utraque Specie*, de quo quidam dubitare viſi. Verum audiant Noſtrum *fol. 28. p.* 1. *Ex bijs luculenter infertur primum, quod manducacio et potacio noſtri huius ſacrificij dulciſſimi et pleni dei ſuaui ſpiritu debet eſſe communis et omnium et per conſequens et plebeiorum et non tantum ſacerdotum.* Unde ſi a *Matthia* potius, quam ab *Huſſo* ſtemus, inferri poſſit primum: credibile